

CA  
2656



Ge. 3b. 0.





1.0.









K  
66

Hoc in libello hæc continentur.

# V L R I C H I

De Hutten, Equitis Germani,  
ad Carolum Imperatorem, aduersus  
intentatam sibi a Romanistis  
vim & iniuriam, con-  
questio.

*ist. überst. in Schubarth  
über Ulrich von Hutten  
in Aufzug 100. 209. folg.*

Eiusdem alia ad Principes ac viros Germa-  
niæ, de eadem re conquestio.

Eiusdem ad Albertum Brandepurgeñ. &  
Friderichum Saxonum Ducem, Prin-  
cipes Electores, alięq; ad alios  
Epistolę.

I A C T A E S T A L E A .

*Ulrich von Hutten f. des allgem. von literarischen Anzeigen 1798. 10. 1785. Sept.  
100. 1793. Sept. 100. 1800. Sept. 100. 1817. Sept. und Zeitung 1799. 100. 1217. Sept.*

9. 21







66.



CAROLO Romanorum, & Hispaniarum  
regi, Ulrichus de Hutten eques Germanus,

SALVTEM.

Et si multa esse video, quæ te occupatum habent  
hoc tēpore, ardua illa & longe maxima, princeps  
Carole, rex inuictissime, tamen nullū esse impo-  
tunū compellandi te tempus arbitratus sum, quo  
eodem cognitum sit, accusationem intendere ad-  
uersarios apud te mihi. Quū igitur intellexissem  
paucos ante dies, quendam istic Pontificis orato-  
rem vehementer conari hoc, ut tu mihi succense-  
as, statim has fortissimo viro, tuo consiliario, & a  
bellicis ministro, amico meo Francisco de Sichin-  
gen, cum ad te proficisceretur iam, perferēdas tra-  
didi. Accusatum me huc mittit ab Episcopo Ro-  
mano, atque hoc tu solum fieri putabas. Sed ego  
quod monitus sum nuper, itidem certiozem faci-  
am: subornatos iam multo ante ab istis, qui extin-  
guēdo mihi, siue ferro id, siue veneno patrari pos-  
set, operam darent: idque in tua aula, ubi tunc ne-  
gocium mihi erat. Neque hoc patiar ignorare te,  
quod certum habeo, imperatum à Leone X. quibus-  
dam hic Principibus, ut comprehensum me,  
vinctū Romam mittant. Hæc instituta ante sunt  
quam apud te reus fierem, & tamen qui hoc sunt  
conati, accusationi adhuc locū esse volunt. Quod  
per maiestatem te tuam obtestor, tuamque implo-

a ij



H V T T E N I C A A D C A R O

to fidē, ne patiare tantum impetrari abs te quantum audent petere improbi. Petunt autē, ut per te liceat vinctum abducere equitem Germanum, eius corporis cui tu caput impositus es membrū. Quod ob malefactum? Certe profecto nullum, ipsis etiā illis qui petunt testibus. At qua de causa? Quia Christianam adserui veritatem, noui etias Pontificum detestatus fabulas. Quia ad pristinam, & huic nationi tuoq; Imperio debitam respexi libertatem, externū detrectans iugum. Nā quale hoc peccatum est, quod hinc aliquid illorū decessit lucro? Si nescis enim, hoc in primis stomacho fuit ipsis, quod passus non sum, tantum maiestati tuæ decedere, quantum illorū ad se trahit cupiditas: & quia indignum duxi nostra virtute, nouis cottidie depilationibus patere hanc patriam, nouæq; semper expositam esse prędæ: ei q; sui iuris monstrator fui, suę dignitatis monitor. Quod ipsum si scelus est, tamen quia tuus sum, ad alienum vocari supplicium, quia te Principem agnosco, ad externā rapi pœnam non debeo. Nisi si carceres hic tu non habes, & gladios nō habes, aut laqueos, quibus fontes punias. Sed habere te non ignorant: sibi licere omnia volunt. Quod videre te oportet, cauendum quid sit: neue plus nimio in ius concedi tuum tibi patiaris: non dico, si



L V M C O N Q V E S T I O .

hoc dederis (nā daturum nullus est metus, ne sus-  
 spicio quidem) sed patienter si orari etiam abs te  
 huiusmodi tuleris. Atq; hoc sollicite adcurandū  
 tibi existimo, quia omnis in te uno posita Germa-  
 nia est, ne quos ornare etiam debebas, non tueri  
 eos videaris. neue quos officij erat tui euehere,  
 deprimi eos sinas. Vbi si tempus spectandum nō  
 esset, tamen exempli rationem habere te conueni-  
 ebat, Quo tandem deuenient eīm res Germanæ,  
 quæ reliqua libertatis nobis spes alijs nostrę vir-  
 tutis opinio erit, si neq; tuo inservire honori licet,  
 neq; accōmodare patriæ tutum est? Deniq; ubi  
 religio, ubi pietas, si quæ Christus docuit memi-  
 nisse non oportet, atq; immortalibus illius institu-  
 tis humanas præferre traditiunculas cogemur?  
 Vtinā videas qui sint hic passim cōtra hanc vim  
 gemitus, quę contra iniquitatē hanc suspiria: quæ  
 ut hæc vindices tui expectatio. Tandem videtur  
 eīm ius & fas omne ab his deleri, omnia omnibus  
 eripi. Cuius rei quæ mea est fortuna, in me si us-  
 quam alibi documentum dederunt. Non est hæc  
 magna atrocitas enim, inauditū, indefensum, in-  
 dicta causa, velle vincire, velle torquere, velle oc-  
 cidere, præsertim iudicium expectantem, & cogni-  
 tionem appetentem? Fateor hoc me scriptis co-  
 natum efficere, ut hic veritatur rerum orbis, hic ea



HUTTENICA AD CARO,

mendetur status. Debit ea res magni esse periculi? Imo ullius esse debuit? Neque nego promptus fui, sed opportune: audax, sed necessario. Et ut quæ fiducia sit videas, ne adhuc quidem clamare desino, contra hostes veritatis, contra publicæ libertatis oppressores, contra tuæ dignitatis contemptores. Neque unquam desinam, nisi tu nolueris, consultum tibi, prospectum patriæ. Sed voles: & ab eo abhorrebis multum, quod te isti facere nolent, si bonos ferre hic Imperatores possent. Tu sis tamē qualem te esse decet: ne istis, quales cupiunt esse liceat. Quod tibi consulo, officium est. quod amo patriam, pietas. Mea nulla priuata res est, nulla propria causa, nullum peculiare negocium. Nā quid facerent isti, quam insolenter triumpharent, siquid eorum omnium quæ tractavi. ad me priuatim pertineret? Persequuntur me tamē, & perditum volunt: eoque sibi auctoritatem etiā deposcunt tuam. Ego contra, primum conscientia me tueor: deinde in tua equitate fiduciam pono. Libere scriptis libris. veritati testimoniū perhibui: ex officio tibi, ex pietate. patriæ consultum volui. Firmissimis aduersus pontificias nugas argumentis contendi. Institutas aduersus tuum Imperium, cōmunem libertatem, machinas, conueltere sum conatus. Vbi sunt præmia bene meritis,



L V M C O N Q V E S T I O .

ne quis me poenam delicto timere putet? Sed quod mirum, quod in gratiam me bonorum ponere debuit, hoc in malorum offensionem coniecisse? Tu vero aures quidem dare illis potes, ad sentire vero non debes: nisi dubitas, si hoc adsequantur, facturos teterrime posthac omnia. Atqui facient. Facient, ita me Christus amet. Nunquam enim intra aliquos fines illorum stetit cupiditas: nunquam modum habuit: nec mensuram fert. Proinde multum refert, in presenti quid iudices, me praesertim haud dum audito, sed cupiente apud te iudicem, quam primum voles causam hanc dicere. Quia servatam volui patriam, ipse perdat. Quid facies parricidis, si hoc ego merui? Quia solvere omnium vincula sum adgressus, ipse vinciar. Quid feret quilibet latro, si de me hoc statues? Meam famam ego perdam, quia consultum tuae laudi volui: falsus dicar, quia verum docui: occidar, quia ad vitam hortatus sum. Quo rapias omnes piuros, maleficos, impostores, sacrilegos, sicarios, hereticos, & idololatrias, si de his factis hanc poenam fumes? En Christi vicarios, Petri successores. Tu vero Carole princeps, ne sine hanc, perpetuos Imperii huius hostes, palmam ex me ferre, hoc innocentiae meae spolio frui, hanc triumphare victoriam improbos. Qui nisi ex sua malicia tuam estimarent indolem.



HUTTENICA AD CARO

ea nō peterent, quę tu si bonus es, imo quia optimus es, tam non dabis, quam ipsi, nisi pessimi essent, petere non vellent, abs te presertim, tali principe, his maioribus, hoc genere edito. Petunt tamen, quia moderari suas cupiditates nesciunt. At non dabis tu: quia obliuisci æquitatis non sustines. Scio enim, & certum habeo, quę tua est probitas, ab hac turpitudine summe abhorre: nec passuram seruitutem metere eum, qui seuit libertatem: & qui cōmune hic soluere iugum adgressus est, eum catenas ferre: te Principe non fines: Si essem alienus, tamen humanitatis hoc dictaret ratio, ut cura esset tibi innocentiae, ut subuenires afflictō, liberares circumuentum, leuares oppressum. Nunc is sum, quem nisi tu seruas, qualis es dici non potes. Imperator es tu autem, id est, publicę libertatis conseruator. At esse qui potes: donec licebit Romano Episcopo, liberos hic homines & nobiles, vinctos Romam abducere? Sed de te nulla nobis talis suspicio residet, nedum opinio est. Illos vero quid nō aufuros apud te putandum est: post, quā hoc semel tentare adgressi sūt? Prius mirifice Imperij huius maiestatem contempserunt: varie ac multis modis in maiorum tuorum iura concesserunt. Imperio multa vi, multa fraude, multa violentis pactionibus per omne ne



LVM CONQUESTIO.

fas ademerūt. Ipsis Imperatoribus osculandos pedes per contemptum præbuerunt. Nec esse diu iam per eos potuit Imperator, qui non in seruitutem se Romano Pontifici, interposito iureiurando addiceret. Constitutiones ad suum libitum, ex lucri sui modo proposuerunt: quibus omnē hic libertatē obterebant: omnia nostra potestatis suę nexibus constringebant: quę maiorum nostrorū liberalitate ecclesijs donata sunt, auarissime ad se pertraxerunt. Episcopos in Germania esse noluerunt, quibus non pallia magno vendidissent ipsi: omnes apud nos præfecturas sacerdotales, magno suo cōmodo locandas sibi desumpserunt. Primū aliquando, deinde quotannis iterum, iam tandem cottidie nouas indulgentiarum merces, venales huc adferunt. Tum absolutiones, dispensationes, relaxationes, & infinitas id genus bullas, fraudulētissimis apud vulgum usi persuasionibus, in magna de se hominum opinione vendiderunt: atq; his modis, & alijs compluribus, neq; enim numerus est, tantum pecunię, quantum dici nō potest, diu iam trans Alpes hinc deportarunt. Præterea multos sæpe hic, & in his principes viros, anathematis inflictu perculerūt. Quibusdā venenū miscuerunt. alios per speciem amicitię hostibus nefarie prodiderunt. Semper discordias inter Prin

b



H V T T E N I C A A D C A R O

cipes nostros excitarunt, & aluerunt, pulcherrimis  
 sæpe reb. splendidissimis facinoribus, magno to-  
 tius reipublicę Christianę incōmodo, ac publico  
 malo impedimentū attulerunt. Hęc omnia inquā  
 & multo adhuc plura, prius ausi sunt: unum ut vi-  
 dere videor, supererat, vinculis suis obnoxios ha-  
 bere Germanos, ut q̄s velint constrictos hinc ab-  
 ripient, ecce Oratores Decimi Leonis: qui hoc te  
 Principe experiant, qua confidentia dic oro? Nō  
 ne eadem, qua te Imperatorē legi vetuerunt anno  
 præterito, non idoneū ferētes, cū alias ob causas,  
 tum præcipue, quod vel unum satis ad te impedi-  
 endū arbitrati sunt, quia regnū Neapolitanū ha-  
 beres tu: cū hoc pulchra sua quędam constitutio  
 caueat, ne quis Neapolitanus rex in Imperatorē  
 Ro. deligatur. Hęc cū fieri ab illis magno nostro  
 cum detrimento, non sine maxima etiam stultitię  
 nostrę apud externos opinione viderē, nec me p̄-  
 pter acerbitatē doloris eius cōtinere possē, excla-  
 maui, vociferatus sum, scripsi, publicauī. Optima  
 conscientia, optima fide, homines ad malorū sen-  
 sum excitare conatus sum. Multos nobiles & po-  
 tentes commoui. Atq; hinc manauit hęc mihi of-  
 fensa, quam sic illi acceperūt, ut deposituri nisi fra-  
 cti, quod te vindice fieri & potest & debet, nō vi-  
 deantur. Age igit̄ inuictissime Carole, nos respi-



L V M C O N Q V E S T I O :

ce tuā dignitatē, tuamq; tuere existimationē. Mu-  
 niatur hæc abs te ad tuendam libertatem via. Hic  
 remergenti christianę veritati per te patefiat adi-  
 tus. Quis audebit verum dicere enim, aut libere ti-  
 bi consulere quis audebit, si eo nomine sic oppri-  
 mor ego? Habes opes, ut possis: copias, ut vale-  
 as: causam, ut liceat: necessitatem, ut debeas. In-  
 super veram tibi & solidam propositā vides glo-  
 riam, si efficias: imbecillitatis opinionē, si non au-  
 deas. Neq; debes tu proposita ingenti gloria, tan-  
 tillam fugere inuidiā: aut vilis offensę metu, a tan-  
 ta absterreri laude. Scripsi tuū hos cōmodum in-  
 teruertere: tuas exhaurire facultates: tuā minue-  
 re potestatem: tuas vires attenuare. Neq; nō est  
 hoc verum. Nihilominus hæc in me procella, hoc  
 fulmen conijcitur. Neq; dubium est, quin studio-  
 sissime hoc agant improbi Curtisani. Sed in te si-  
 tum est, qua vi tuos impeti sustinere velis. Pote-  
 ram qui iniuria oppugnor, iure repugnare: cui i-  
 merenti vis fit, defensionem recte experiri. Neq;  
 id non permittebat ratio, dabat natura: ut qui sic  
 cupide impetebant, eorū contra vim arma sume-  
 rem: & vires erant, erantq; auxilia. Sed in tuā de-  
 fensionē reiicere visum est omnia, & te vindice ul-  
 cisci improbitatē hanc. Quod ut impetrari abs te  
 sinas, p̄ salutē tuā oro & obtestor, Iā audebo em̄



H V T T E N I C A A D C A R O

non petere amplius: ut ne istorū inductus fraude,  
 mihi succenseas, sed ut maleficium etiā cum ipsis  
 hoc exoptules. Summa causę æquitas est: adde  
 tuam auctoritatem Imperator, tuamq; gratiam.  
 Debet hoc ipsa abs te causa impetrare, si non o-  
 rem ego etiā. Vides enim quę adnexa meo peri-  
 culo sint: neq; sic hebes tuus est intellectus, ut nō  
 sentias, ad te quoq; pertinere hinc aliquid. An pu-  
 tas licitum tibi libere posthac decernere, si hor-  
 tari libere mihi non licet? Aut non manifeste vi-  
 des, meam perniciem esse tuę potestatis obsidio-  
 nem, tuicq; iuris vinculum? Me serua igitur, quem  
 vides sine magno tuo incōmodo perdi nō posse.  
 Da hoc famę tuę, si cuiusquā innocentię negas.  
 Nam studia tibi mea non narrabo hic: nec labo-  
 res exponam: & indagatam omnibus vijs, p̄ tot  
 pericula, tot acerbiss. casus, literarum pariter ac re-  
 rum cognitionem non memorabo. Etsi em̄ factu-  
 ra erant hęc non nihil, ad concitandam mihi apud  
 te misericordiā: quemadmodū illud quoq; quod  
 maiorum tuorū res gestas meis ornaui literis, ta-  
 men ex ipso meo facto, nulloq; penitus horū re-  
 spectu, iudicari abs te volo. Qui si effecissem qd  
 conatus sū, ut nō liceret his amplius cōpilare Ger-  
 maniam, tuā maiestatem ludibrio habere, publi-  
 cam libertatem cōculcatā tenere, veritatem euan-



gelicam præstigioso inducto fuce, omnium oculis atque auribus adimere, premium abs te postulare, tantum a supplicij metu abessem. Nunc qui beatum me arbitrarer, si hoc perfecissem, miserum non duco, si frustra conatus sum. Sed nihil frustra actum a me existimo, te animum erigente, te necessaria de causa vindictam aduertente. Videmus infinite augeri hodie, quæ maiores ante nostri cumulata plerumque putabant. Videmus, sed te monere non audeamus. Quæ seruitus in mortalis Christe, quæ captiuitas ista est? Aut quousque aduersum fortissimos reges & populos inuicti, nugacibus bullis, & inanibus paremus fabulis? Siccine omnis extincta virtus est, omnis a Germania fortitudo exultat? Nihil animi, nihil mentis, nihil sensus relictum est? Sed bene agitur. Te nobis bona fortuna dedit. Te singulari quadam erga patriam hanc misericordia et benignitate Christus misit Carole Auguste, qui inspicias hæc, quique emendes. Quod te adeo facere volo, ut de me sollicitus amplius non sim; meque satis vixisse putem, si quo scriptis ego & oratione hortatus sum, huc te factis ire videam. Audies tamen causam hanc, & iudicabis. O enim cognoscente te dicere liceat. Sed licebit. Nam alium ego præter te iudicem nec debeo habere, nec ferre possum.



HUTTENICA AD ALBERTV M  
EPISCOPO ROMANO EQVITIGER  
MANO: Sed hæc tu statues. Ego interim nō pa  
tiar, Imperium hoc, nomenq; Germanicū, a quo  
quā haberi ludibrio. Vbi si nō possum aliud, hoc  
faciam tamen, quod adimere nemo potest: ut oc  
culte mecū fremam indignitatem rei: ac fortunam  
quæ conatui meo defuerit, accusem. Vale Impera  
tor, nobisq; diu superstes viue.

Alberto Cardinali & Archiepiscopo,  
Ulrichus de Hutten Salutem.

Ex alijs cognoui, qd mandauerit Decimus Leo  
tibi: quo imperio, qua vi impellat, ut vincitum me  
Romam mittas. Nā tu, quod debebas, ut mihi vi  
detur, non monuisti: forte quia obnoxius es De  
cimo. qd ut feliciter tibi cedat, ex animo & aman  
ter opto. Ille tamē valde metuo, ne rem vobis Epi  
scopis, totiꝫ ecclesiastico ordini malā, rem atro  
cem & lugubrē conciliaturus sit, ista sua nunquā  
prius audita insolentia. Quod videre vos oport  
et: & cauere multo ante, ne veniat tempus, ut di  
ci necesse sit, non putaram. Vtinā liceret nūc ma  
xime colloqui tecum. Atq; igitur male pereat, qui  
me a tuo conuictu, Principis, sic erga veram pieta  
tem, sic erga bonos adfecti, abstrahit. Quo haud  
scio, an molestius in hoc aduerso meo casu euene



BRAND. CONQUESTIO

rit aliquid. Sed obdurabo in omnibus his, aliquādo dissimulabo etiam. Excludor ab aulis, ab urbibus, illa etiam ( o' dolor ) aurea Moguntia, a' publico cōuictū, ab hominum consortio, homo nullius improbitatis reus, de nullo scelere, nullo malo facinore conuictus, adsertor veritatis: qui ad optima capessenda monitor fui, & indicta causa excludor: tandem ad supplicium quoq; Romam deposcor. Quis est vel guttam habens in se Germani sanguinis, quem hęc indignitas non moueret? hęc atrocitas non irriter? Ille interim quasi uno pulsu iniecturus omnia, brachiū sæculare implorat. O' amentiam prope singularem, o' væsaniam diu memorabilem, nisi qui hoc faciunt sanctissimi sint. Tuam cōscientiam appello Alberte: potest quicquam agere, se indignum magis christianus Episcopus, qui toties iam renunciauit sæculo, quā si desperato brachio Domini, id est, dei filio, verbo dei, virtute dei, illud inuocet sæculare, id est, regnū mundi, quod dei nō est, imo a dei regno ita seiunctū est, ut consortium non patiatur? Quo de per Esaiā prophetam dicit. Vē qui descendunt in Aegyptū, auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciā in quadrigis, quia multę sunt: & super equitibus, quia preualidi nimis: & nō sunt confisi super sanctum Israel, & Dominum non



HVTTENICA AD ALBERTVM

requisierunt. Mihi contra satis est in brachio do-  
 mini sperare, ut cum eodem propheta dicam. Ecce  
 dominus deus auxiliator meus, quis est qui cō-  
 demnet me? Nam tinea comedet eos, qui a mo-  
 destia illa christiana, quā Paulus notam esse vult  
 omnibus, tam longe absunt. Qui non in spiritu  
 ambulant, sed desyderia carnis perficiunt: ut dici  
 eis possit. Confiditis super baculum arundineum  
 confractum istum, super Aegyptum: cui si inni-  
 sus fuerit homo, intrabit in manū eius, & perfora-  
 bit eum. His ego princeps Alberte verum dicens  
 inimicus sum factus. Neq̄ eīm aliter displicere po-  
 tuissem. Sed displiceam, dum auxilium meū sit a  
 domino, qui fecit coelum & terram: cuius viā ve-  
 ritatis elegi. Nā veritas ipse est: & omnia manda-  
 ta eius veritas. Quod si narrant mihi fabulatiōes  
 Episcopi Romani, nullo bono celo, sed lucri stu-  
 dio concinnatas, aspernabor, abijciam, detesta-  
 bor. Neq̄ enim sunt ut lex dei. Quę utinam sic es-  
 set cordi episcopo Leoni, ut semper cogitat noue  
 Germaniā compilare. Nos qui iugum Pontificiū  
 nostro iure detrectamus, primū excōmunicatio-  
 nibus, postea gladijs etiā, & veneno persequitur,  
 postremo vinctos Romā abduci iubet. Neq̄ eīm  
 huc vesaniæ prolaberetur, unde aut abstrahi eum  
 statim optet, aut misceri passim omnia. Hęc bre-



## CONQUESTIO.

uiter ut tempus tulit. Tibi omnē felicitatem precor, hoc in primis, ne mali exempli contagio ad te unquam perueniat. Atq; igitur protegat te Christus seruator & confirmet. Ex Ebernburgo Idib. Septemb. Anno M. D. XX.

Sebastiano de Rotenhan, equiti aur. Sal.  
Hoc pertonante in me Decimi Leonis tonitru, interim quid tu facis? Qua spe, qua futurorum cōiectura agis? Et ista quando audis (audis autem cottidie) quę in me absentem dicuntur, ab ecclesiasticis patribus, quid mutire audes? quid libere loqui? Nonne in te francus animus residet? auita libertas? Non credo ita odisse Germaniam superiores, ut non plurimi se mihi adiungant, quo efficiamus hoc, quod nisi prope diem fit, actum de libertate nostra est, actū de christiana veritate. Illa cōculcatur enim, hoc imposito iugo: hæc aboletur, pudēdis inductis ab illis impostorib. nugis. Quāquam si destituar, soler me conscientia, & posteritatis spe. Neq; enim ita extinguī hoc incendiū potest, ut non aliquando, in maximā illorum perniciem atrociter sit exarsurū. Perquire istic quid agatur diligentissime: & apud nobilitatē, quando fieri opportunissime potest, de me qđ in rem hęc sit loquere. Aliquando per epistolas mone quid habeas. Apud inimicos vero meos, ingentē meū,

c



HUTTENICA AD FRIDER.

& fracti per similem metum simula. Sic fiet enim, ut me contempnant isti. Questus sum Carolo Principi, de iniuria & atrocitate Romani Episcopi, vinctum me Romam abduci ad se petentis. Queror & Principibus, populoque Germaniae, non quo mihi timeam, sed ut rei nouitate (solum hoc enim nunquam prius experti sunt Romanistae) multorum animos ad vindicandam communem libertatem accendam. Implorat ille brachium seculare. Ego domini contra virtutem, composita oratione inuocabo. Quis horum finis erit? Tu conijce. Nos aliquid audebimus interim, neque unquam segniter negocium hoc agemus. Utinam fit in Carolo dignus ipse animus, & haec vindicet ipse. Hoc summe in votis est. Vale, ex Ebernburgo, Idibus, Septemb.

Inuictis. principi Fridericho, Saxonum Duci, Electori, Ulrichus de Hutten eq. Germ. S.

Iam tandem vid eo princeps Frideriche, obsequendum esse Romanam tyrannidi. Iam tandem, postquam toties fratere moniti, toties rationibus convicti, fratres nostri Romanistae, non tantum non mitius agunt ea, quae nos grauant, sed ferocius adhuc omnia experiuntur etiam. An non audisti, vincit Romam peti me? & id quale sit, quamque res dignum vides? Nunc autem in Lutherum, qualem bone



CONQUESTIO

deus, quam violentam, quãq; crudelem cõtorse  
runt bullam. Dicas plane Leonis esse hunc rugis  
tum: quem audientes miseræ Christi oues, nõ ut  
piam pastoris vocem agnoscant, sed ut insidiato  
ris, feri sanguinariam contremiscant. Est aliquod  
ibi enim Christianæ masuetudinis vestigium: ali  
quod est apostolicę indicium modestię. Sic fre  
mit ille, sic furit. Sed tunc magis elucescit eius feri  
tas, quando ut sæpe in ea bulla, alium se fingit, &  
beneuolentiã callide simulat. Quale illud est, ubi  
blande Romã inuitat Lutherũ. Quasi vero igno  
remus, quemadmodũ habiturns nos sit, siue per  
suasus ille ultro veniat, siue raptus ego vi cogar.  
Lutherus itaq; si me audiet, nunquam ibit ad cer  
tum supplicium: de me autem valde miror, quis  
persuaserit Decimo, tã facile & capi posse, & ca  
ptũ e media Germania, per transitu difficiles Al  
pes Romam duci. Fac posse autem, est hoc pasto  
ris officium, est Episcopi, est Christi vicarij, non  
accusare, non audire, sed primo statim ad pœnam  
rapere: ad supplicium ducere: hominem christia  
num: Culpa est autem omnis nostra, atq; omne  
crimen est, quod Euangelicam doctrinam, sui lu  
cri studio ab illis iam olim antiquatam, pene abo  
litã etiam, ad suum vigorem, suamq; reuocare lu  
cem conati sumus: Germaniam vero nostrã, cui



HVTTENICA AD FRIDER:

omniū orbis nationi maxime libertas competit,  
 seruire, non patimur. Displicuit hoc illi pastori,  
 at Christo placuit: nocuit perditę auaritia roma-  
 nę curiæ, at prodesse incipit libertatis diu iam in-  
 opi patrię. Neq; nobis cū vellemus iseruire Chri-  
 sto, uniuscuiusq; cupiditatibus gratificari licuit:  
 aut cū iuuanda esset patria, cum illa facere potui-  
 mus Romanistarū factione. Itaq; pax non est cū  
 illo nobis ( sic enim ipse censet ) quia cum verita-  
 te est. Quare sic dico, obsequendum illis tandē est,  
 quando & maxime diripimur nos, & in summū  
 euasit illorum improbitas. Forte etiam, quia tem-  
 pus esse videtur, ut visitet deus omnē arrogantē,  
 qui ingreditur super limen, qui complet domum  
 domini dei iniquitate & dolo: & conculcetur co-  
 rona superbię ebriorum Effraim. Omnino enim,  
 nisi me omnia fallant, prope est, ut illa cadat Ba-  
 bylon magna, mater scortationum, & abomina-  
 tionum terrę, quę corrupit terrā prostitutiōe sui.  
 Illa inquā omni spurcitia referta, omnibus obno-  
 xiā sceleribus, Romana sedes, quę cū a Christi in-  
 stitutis degat alienissime, Christi tamen vicem ia-  
 ctat gerere se hic: & solam iactat, caputq; prædi-  
 cat se Ecclesię uniuersalis, imo ipsa esse hæc sola  
 contendit: & suum quoddā orbi ostentat idolū,  
 personatum illū apostolicum, qui cū præter sæculi





CONQUESTIO

regna . ac dinitias mundi huius, & corporis voluptates nihil curet, propterq; hæc bella gerat, & sanguinem fundat, tamen claves obijcit fidelium oculis, & coelū claudere ac aperire præ se fert: tanta fiducia, ut sacra illa & cęlestia, precio quoq; nobis cottidie vendat, aut siquādo placet eorum usum interdicit, bonis etiam. Cadet profecto, cadet. lamq; adeo audire mihi videor, illam diuinitus vocem, quę nos in πολυκεφάλῃν hanc bestiā cōcitans dicat. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia, secundum opera eius. In poculo quo miscuit vobis, miscete ei duplum: Quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantū miscete illi tormentū & luctum, quia in corde suo dicit. Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo. & huiusmodi. Aut hæc ita sunt, aut ego in re mirabiliter verisimili fallor. Possent adhuc augeri enim ista? Aut cū accumulari ulterius non possint, & summe coaceruata sint, non soluentur? nō ruent? At quis illa vindicabit? Quis corrupta omnia & emēdabit & corriget? Deus ne? Certe deus, sed hominum, ut sepe ante, manibus. Vbi vos quid agitis viri Principes? Quo nos cōsilio, qua iuuatis ope? Tu præsertim, ad quem hæc hereditario quodam iure pertinet, adserere Germanam libertatem? Quid in mediū consulis? Quā





HUTTENICA AD FRIDER.

iuuandi nos viam inuadis? Quem aditum occu-  
 pas? Vtinã aut animus sit vobis qui potestis, aut  
 vires habeamus nos qui audemus: ut cum agno-  
 humani generis seruitiore pugnemus, cõtra mul-  
 ticornem beluam, cõmune orbis Christiani malũ,  
 quę nunc multis cum viribus oppugnat veritatẽ,  
 affligit sanctos, in captiuitatem ducit liberos, no-  
 stras exhaurit opes, facultates deuorat, publicos  
 suo exemplo mores corrumpit, passimq; ab ijs q̃  
 rum in libro vitę non scripta sunt nomina adora-  
 tur: qui nobis dicunt. Quis similis bestię? & q̃s  
 poterit pugnare cum ea? Quare agite, adeste vos  
 qui potestis: & ubi ex nostro hortatu animum  
 acceperitis, vestras nobis vicissim vires refundi-  
 te. Sic fiet enim, ut ad sanitatẽ redeat hæc ægritu-  
 do. Ipse quidem nunq; deero vobis sedulus hor-  
 tator, atq; eatenus inherebo, quatenus aut recipe-  
 re virtutem videam, aut non esse fortitudinis ca-  
 paces intellegam. Tunc enim aliunde quęram hu-  
 ic malo remedium. Quod ne fiat curate: cũ quia  
 potestis hoc facillime vos, tum quia turpissimum  
 est, ab alijs q̃ ab ijs, qui rerum capita sunt, rem cõ-  
 munem restitui. Non tantũ iniuria nos afficimur  
 qui monitores nos interposuimus, sed omniũ iã  
 oppressioni operam isti dant. Neq; hoc ferre, ut li-  
 beri, debetis; neq; nõ auertere illud, ut Principes



CONQUESTIO

Romæ olim Cato senior dicebat, ex magistrati-  
 bus qui possent, nec propulsarent iniuriam, lapi-  
 dibus esse obruendos. Adeo putabat necessariū  
 hoc in republica officium. Quam' est autē indeco-  
 rum, quam' turpe, & foedum, orbis reginam natio-  
 nem, cuiquam, nedum ociosis seruire sacerdotib.  
 Utinam enim Turcis pareamus potius, qui viri  
 sunt, & in primis strēnui, ac rei bellicæ ut vix ul-  
 la natio periti: ut in fortunā quæ ī bello potest plu-  
 rimum, hanc rejicere culpam liceat. Quinetiā mis-  
 tius imperāt Turcæ, & in subiectos æquiores sūt:  
 neq; de religione ut audio pugnāt, sed pro Im-  
 perio decertāt. Hi vero domini nostri, quem frau-  
 dandi ac diripiendi modum statuunt? Religionē  
 vero quis sic posset conculcare, ut ij, qui cū princi-  
 patum in religione teneant, apposite contra Chri-  
 stum ac verā pietatē viuunt. Me quidē nostri ve-  
 hementer pudet, quoties principū hic etiā ordinē,  
 edicere aliqd video Ro. pontificē. At facit hoc ille  
 quoties libet, q̄tiesq; in rem suā est. Vosq; ut vi-  
 deo, obsequētes habet sibi, nisi q̄ tu Lutherum fo-  
 ues, ab omnib. derelictum, & quandā alere adhuc  
 pristinæ virtutis scintillā, quæ saluberrimū aliquā-  
 do incendiū parere possit videris. Quod ut con-  
 stanter facias, etiā atq; etiā te hortor: cum quia ut  
 sic fiat necesse est, tū vero q̄a de nullo alio potest



HVTTENICA AD FRIDER.

hac in re sperari melius. Semper em̄ liberi fuerunt Saxones, semper inuicti. Ac sæpe quidē uniuersa pene cōculcata Germania, soli restiterunt, soli exteros propulerunt dominos, & omne detrectarunt iugū. Nā in vobis censeo Vestphalos, eosq; q; Cherusci olim & Cauci vocati, eximiā virtutis suę specimen dederunt bello Romano, atq; illum Germaniæ miserunt Arminiū, Imperatorē omnium qui usquā fuerūt, optimū & fortissimū, quod ab hostibus etiā consequutus testimoniū est: qui non patriam modo, sed uniuersam etiā Germaniam, e manibus Romanorum, tunc quando plurimū poterant, ac maxime florebat, eripuit: ipsos vero multis & incomparabilibus adfectos cladibus, strēnue expulit & eiecit. Ille igitur apud inferos liberator noster, quid sentit nunc, quando videt, cū ipse fortes Romanos & orbis terrarū dominos, regnare hic non tulerit, mollibus sacerdotulis, & effœminatis seruire Pontificibus? Nōne posteritatis pudebit eum? Illi auem Othones vestri quales fuerūt? & Henrichi quidam, vestri & illi sanguinis? Porro bello quod cum magno Carolo gestum est, annis plus triginta, quæ perspecta Saxonum fortitudo est? quæ virtus enituit? Adde illos qui deleuerunt ultimas Gothorū reliquias, vestri enim fuerunt, quicq; Britanniam ex



CONQUESTIO.

pugnauerunt: & expulsis indigenis, Anglos ex se  
 & Scotos deduxerunt. Quid illos memorem ve-  
 teres Cymbros, & Teutones, magno urbis Ro-  
 mæ malo, vestris e' finibus in Italiã effusos olim?  
 Deinde quoties ingressa Italiam est illa natio, &  
 cum alijs una Gallias deuastauit, attactis etiã Hi-  
 spanis: Sunt & in Sarmatas præclara illius facta.  
 Et ab Hunis quondã, post ab Vngaris etiã, quas,  
 & quã splendidas reportarunt sæpe victorias tui  
 populares? Multa consulto prætereo. quia unum  
 satis est meminisse, solos nuncq̃ externis seruisse  
 Saxones. Quod videre vos decet: ne eũ maiores  
 vestri tales fuerint, vos aliquid indignum hoc ge-  
 nere admittatis. Accepistis quidem & ipsi iugum  
 in vos, a Pontificib. superstitione ut omnes olim  
 delinisti. Sed cum hoc malum quoddã uniuersim  
 Christiani orbis fatum interpretari liceat, facile in-  
 famiam eam noua abolebitis gloria, si authores si-  
 tis rei longe pulcherrimæ atq̃ honestissimæ, ut p̃  
 vos in libertatem vindicetur uniuersa natio, sibi  
 q̃ reddatur Germania: quæ nunc non intelligit,  
 non sapit immortalis Christe, quid, & quam indi-  
 gne patiatur. Nam cũ omnibus seruire indecorũ  
 est, tũ vel præcipue turpiter hoc fit, ab ijs, qui im-  
 perare ipsi alijs debent. Aut igitur desinamus or-  
 bis imperiũ adscribere nobis, & Imperatores des-

d



H V T T E N I C A A D F R I D E R .

ligere hic, qui nomen habeant tantū, cum ab re ab  
 sint longissime, aut strēnue pontificiā auferamus  
 tyrannidem. Omnis, ut Platoni videtur, liberalis  
 virtus est, soli seruitute digni sunt mali. Præstat in  
 malis esse, quā haberi optimos? Posset in nos di  
 cere hoc, si esset hodie, q̄d in Eretrienses olim strē  
 nuus imperator Themistocles, gladiū habere, sed  
 corde non esse præditos. Sic enim videtur. Quod  
 unice miror, quæ cogitatio vos teneat Principes,  
 quando me Equitem videtis, tam impatiēter fer  
 re indignitatem hanc. Multo enim magis hæc vo  
 bis curæ esse conueniebat. Posses autem lachry  
 mas effundere tu, si cum multa egregie gessissent  
 maiores tui, nullā tibi reliquam adeūde glorię oc  
 casionem fecissent. At optimā reliquerunt, & fer  
 tilissimam, tu modo inuade & occupa. Sed nō si  
 ne cęde, nō sine sanguine fient quę conamur. Hoc  
 illi viderint, qui causā nobis persequendi sui dāt:  
 qui mihi dignis, videntur, quos percutiamus gla  
 dio, cū alios gladio toties percusserint prius ipsi.  
 Solent vero medici, amarissimos plæruncq; mor  
 bos, amarioribus eluere medicamētis. Sic agatur  
 hic, quando aliter agi nequit. Existimo autem de  
 turpitudine nostra ( quod primū & præcipue fie  
 ri decuit ) inculcatum tibi satis iam. De incommo  
 do vero & detrimento, quæ ab illa nobis sunt ty



rannide, haud perinde multis agendum est, quod hoc quale sit manifeste omnes intelligant. Vide mus non esse aurum in Germania, nec argentum pene: si quod reliquum vero est, ipsum auarissimi me ad se trahit: nouis cottidie inuentis artibus, ille sanctissimus Romanistarum Senatus: ubi quid eripuerit vero, tum in pessimos confert usus. Vultis enim scire Germani, quæ vidi ipse, quid faciat Romæ nostra pecunia? Non nihil facit. Partem in nepotes suos & cognatos pfundit Decimus, habet autem ita multos ille tales, ut prouerbio locum dederint, Leonis Romæ cognati & affines. Partem absumunt tot reuerendissimi, quos tringintaunum pater ille uno atq; eodem creauit die: tot Referendarij, tot Auditores, Prothonotarij, Abbreuiatores, Scriptores apostolici, Camerarij, Officiales, & id genus alij Principis Ecclesiæ primates. Nā hi post se trahunt maxima adhuc cum impensa, Copiistas, Pedellos, Cursores, Scobatores, Muliones, Stabularios, & scortorum utriusque sexus innumerabilem turbam, ac lenonum exercitū. Alunt & canes, equos, ac simeas, & ceropythecas, & huiusmodi multa, animi causa. Domus vero extruunt, solido quidam e marmore, & gemmas habent: cœnantq; laute, ac splendide vestiunt, & genio indulgentes, secure delici

d ij



H V T T E N I C A A D F R I D E R .

antur. In summa, nostrę pecunię p̄sidio, magna  
 ociat̄ Romę pessimorū hominū multitudo. Nul-  
 la ibi religionis cura, magnus est cōtemptus, qua-  
 lem vix apud Turcas esse arbitror. Fraudant, im-  
 ponunt, furantur, mentiuntur, falsum obsignant,  
 spe lucri omnia dicunt ac faciunt: propositum ve-  
 ro habent hi omnes, pecunijs nostris insidiari. alij  
 viuunt ut edant atq; bibant, & sumptuosissime  
 deliciētur: nostrisq; sumptib. assequūtur hoc. Has  
 ob res inmensam o' Frideriche, auri vim Romam  
 quotannis hinc mittimus, nec adhuc intelligimus,  
 perdi quod sic elargimur. Imo non perdi rem tan-  
 tum, sed materiā fieri adhuc magnorū infinite ma-  
 lorum. Itaq; si philosophari libet, ob idq; pecuniā  
 abijcere decretū est: patent tot in propinquo ma-  
 ria: sunt fluij, ille apud nos Moganus, ultra Rhe-  
 nus, tuus istic Albis, atq; alij. Demittamus eo, ut  
 perdatur ipsa potius, quam perditionis causa sit  
 ubiq; multis: dum istam pascimus turpitudinem  
 Romę, supflue adeo, ut huc nō nihil inde redun-  
 det: dum hanc alimus publicam morum pestem,  
 hanc ipsi fouemus vitę contagionem. Sed nō ab-  
 ijciemus? Tantū transferri alio nō sinamus. Hęc  
 prima & optima est destruendę illius tyrannidis  
 via, hic modus. Certe enim subducto hoc luxurię  
 fomento, minus se efferent, tractabiliores passim



erūt. Postea duce aliquo Othone, illū censebimus  
 senatum, urbē Romā lustrabimus, & eiectis ma-  
 lis complurib. paucos quosdam sua. illic sacra cu-  
 rare iubebimus, regnare nō permittemus. Ipsi Im-  
 peratori, si quidem esse volet, Imperij sedem red-  
 demus. Romanū pontificem, ut equalitas episco-  
 porum sit, in ordinem redigemus. Sacerdotū etiā  
 hic censum minuemus. Ipsos ad frugalitatē per-  
 ducemus, & pauciores faciemus, centesimo quo-  
 q; delecto. De ijs vero qui fratres vocantur, quid  
 statuemus? Quid enim aliud, quā quod ego cen-  
 seo, abolendum omne monachorū genus. Quod  
 ignorari non debet, si fiat, quā sit utile, quāq; fru-  
 ctuosum reipub. christianę futurum. Primū enim  
 coactis tot sectis, tot conciliatis inuicem diuersita-  
 tibus, ablata viuendi dissimilitudine, intestina si-  
 multas cessabit, prauę æmulationis causa nō erit,  
 neq; inuidię materia suppetet. Omnes in Christo  
 unum erimus. Stabit publica concordia, ac inter  
 nos omnes coniungemur, ut exterius differamus  
 ab alijs. Nemo tūc mollis & delicatus vel auarus  
 ad sacerdotia, ut nunc, adspirabit. Probi & docti,  
 qui vitę quidē exemplo meliores alios faciant, do-  
 ctrina vero multos erudiant, ipsi accersentur. De-  
 inde, quod optandum in primis est, tot hypocrite  
 desinent simplici plæbi fucum facere, pauperū su-



[HVTTENICA AD FRIDER.]

dorem ac sanguinem emendicare, omnes exhaurire, se implere, sub falsa religionis specie fraudare, & decipere. An nō vides, quot magni nebulones q̄t callidi veteratores, sub monachali cucullo, magna nonnunquā flagitia patrant? & quod multi nunc insidiosi accipitres, columbinam simplicitatē simulant? multi rapaces lupi agninam præferunt innocentiam. Quorū tamen si qui meliores sunt, sua quædam & noua superstitiose sequuntur, impie ab ijs quę Christus instituit præuaricatur. His tot Germaniam atterentibus, magisq̄ ac magis omnia deuorantibus ablatiis, simul ea qua in nos feruntur Romanistæ, diripiendi licentia adempta, multum hic auri, multum erit argenti. Verum id quantūcunq̄ nobis, aut qualecunq̄ relinquetur, in meliores verti usus poterit: nempe ut alantur magni exercitus, & Imperij propagentur fines: etiam Turcæ, si videbitur, debellentur. ut multi qui per penuriam furantur nunc & rapiunt, stipendijs tūc viuant. Vt qui aliter egent, publicitus quo inopiā tolerant accipiant. Vtq̄ doctissimi alantur homines, & literarum studia foueantur. In summa, ut virtuti præmia sint, internęq̄ egestatis habeatur ratio, ignauia exulet, fraus occidat. Hoc vidētes Bohemi, per omnia nobiscum facient. Nā ante q̄, aduersus auaros sacerdotes sibi cōsuluissent,



CONQUESTIO

prohibiti erant. Facient & Græci: qui cum ferre nec vellent, nec possent Romanam tyrannidem, Romanorū pontificum instinctu pro schismati & cis sunt habitī, multo iam tempore. Ac Rhuteni erunt nostri, qui cum esse nuper vellent, repulsi a Sanctissimo sunt, iubente pendere sibi aureorū quotannis quater centena milia. Etiam Turcæ minus oderint: nec ulli Ethnici calumniandi ut prius occasionem habebunt. Hactenus enim, eorum qui religioni præfuerunt, vitæ turpitudine, odibile apud alienos Christianum nomen reddidit. Erit hoc afflixisse fluctuantē Petri nauiculam, destruxisse Ecclesiam dei, & (quemadmodum sacrilegi clamant Romanistę, foeda vociferatur Epicureorum schola) inconfutilem Domini tunicam discerpisse, an vero accessione tot populorum, emendatis publice moribus, et cōtagiosis ablati e medio exemplis, depurgasse, prouexisse, & auxisse? Vides igitur, quam nolim abolitam charitatem, sed deuictis ijs quæ obstant, locū ipsi facere? quā nolim destructā ecclesiam, sed relegatis Antichristis impostoribus, bene christianis his, & vitę sinceritate cōmendatis, ad ecclesię curā p̄bere aditū? Itaq; hoc erit restitui charitatē, augeri Ecclesiā, & dū christianę in uniuersum reip. consuliūt, magno interim commodo patriam afficere. Nam facile



HUTTENICA AD FRIDER.

Inter equales conuenit: & qui vitę similitudine te-  
nentur. mutuū plærumq; amorem ultro concipi-  
unt. Expulsis autē ignauis fucis, melliferę aduola-  
bunt apes, quæ secure ista nobis restituent aluea-  
ria. Ibi tum reddita sibi pietas se tuta cōsistet: po-  
teritq; durare. Nam haud erunt irritamenta malo-  
rum diuitiæ, neq; ad vitæ dissolutionem vocabit  
mollis opum luxuria. Hæc utinā aut velletis vos  
qui potestis, aut possem ego qui volo. Quod si  
flectere vos nequero, neq; alibi etiam incendium  
quo hæc adurantur excitare, quod præstare tamē  
solus potero, nihil admittam forti indignū equite.  
Neq; unquā ( donec quidem sana mihi mens cō-  
stabit ) vel tantillū ab ijs quæ proposui discedam:  
vestri autē quos a virili fortitudine degenerare vi-  
debo ( si quidem videbo ) miserebor. Maneboq;  
liber, quia mortem non timeo. Neq; unquam de  
Hutteno audiatur, qd externi alicuius regis, quan-  
tus quantus erit ille, nedum ignauis Pontificis im-  
perata faciat. Tantū aberit, ut illam vobiscum ad-  
orem multicipitem bestiam, cū quia nō feret hoc  
mea natura, neq; me dignum arbitrabor, tum vel  
maxime, quod timebo. ne illę effundantur in me  
diuinę iracundiæ phialæ. Nunc autē urbes dese-  
ro, quia veritatem deserere non possum: liberri-  
meq; lateo, quia libere versari inter homines non



CONQUESTIO

licet, magno cum periculi, quod circumstat, con-  
temptu. Mori enim possum, seruire non possum.  
Etiam Germaniam videre seruientē non possum.  
Sed aliquando reor, facta ex his latibulis eruptio-  
ne, Germanorum fidem implorabo: & ibi forte,  
ubi maxima erit hominum cōuentio, exclamabo.  
Ecquis pro publica libertate audet cum Hutteno  
mori? Hæc ad te pro animi cōmotione magis, q̄  
te dignū est, libere. Sed bene de te sperabam. Igitur  
existimaui, ad liberum scribendum mihi libere  
re. Vale, & te excita. Ex Ebernburgo, tertia Idus  
Septembres.

Omnibus omnis ordinis ac status in Germa-  
nia Principibus, nobilitati & plebeis, Vl-  
richus de Hutten Eques, Orator & Poe-  
ta laureatus, Salutem.

Cum veritatis amore, simul & patriæ studio, ea  
scriptis prodidissē nuper, quæ reticere, & impi-  
um satis putauī, & officij esse haud quāq̄ mei ar-  
bitratus sum, de inmodica Romani Pontificis po-  
tentia, de peruerso urbis Romæ statu, de luxu &  
auaritia Sacerdotū, de Symoniaca hæresi, de Cur-  
tisanorum improbitate, uniuersim de ijs, qui cum  
spirituales vocari postulent, nec viuūt ex spiritu,  
& carnis negotia tractant omnium auidissime, ac  
voluptatib. dediti sunt perdite, de nouis semper

e





HVTTENICA AD GERMANOS

Pontificū sanctionibus, ac violentia cottidie bul-  
 larum plus quam tyrannica, & id genus alia, qui-  
 bus multipliciter ac prope infinite Christianę ve-  
 ritati derogatur, hæc natio grauissime opprimit:  
 essentq; adeo omnia manifesta, ut negari nõ pos-  
 sent: adeo iniqua, ut nec excusationem acciperēt,  
 & defensionem excluderent: ego vero cū in lite-  
 ras referrem, non tantū non conscius essem alicui-  
 us mihi delicti, ut poenā metuerem, sed bene me-  
 riti etiam, ut præmium sperare auderem: ut qui ea  
 monerē, quæ ex Christi instituto cum essent, me  
 quidem digna videbantur, & religioni consenta-  
 nea, publico vero etiam necessaria. Nam id plane  
 conabar efficere, ut aliquādo resipiscant isti: quo-  
 ne nimium iustas persecuēdi sui causas, populo  
 Christiano præberent. Cū hæc inquā conarer, atq;  
 hoc animo, hac spe, hac fide conarer, eā statim sen-  
 si hominum cōmotionem, quæ esse solet, quoties  
 nouis studetur rebus, aut aliqua imminet publico  
 euersio, grauem scilicet infensionem, horribiles mi-  
 nas, terrores admodū vehementeis, præsens peri-  
 culum. Nam ex amicis, anathematis fulmen nun-  
 ciabant aliqui in me distringi, quidā carceres, aut  
 aperte cędem: nõnulli horum nihil, sed destinatā  
 clam necem mihi: eamq; aiebant, siue immissa ex  
 improviso sica, siue propinato veneno patratū iri.



ROMAN CONQUESTIO

Certe abolitiōez mei existimabāt decretā omnes.  
 Quidā se etiā scire palam fatebārur, quæ prodere  
 nō auderent. Quinetiā ex urbe Roma certior fa-  
 ctus sum, quib. curātibus tā grauiā in me consulā-  
 tur. Cumq; descēdissem in Brabantia paulopost,  
 & dies aliquot in aula inuictissimi regis ac domi-  
 ni nostri Caroli versarer, monitus statim a neces-  
 sarijs ibi meis sum, si me seruatū vellem, ut disce-  
 derē statim. Ibi em̄ potissimū dispositā mihi frau-  
 dem, ibi collocatas insidias: nec fieri posse ut effu-  
 gerem, nisi mox fugerem. Ea accepta fama, primū  
 innocētia fretus contēpsi. Verū ubi hęc non unus  
 & alter, sed cōplures iā simul deferre ceperūt, cur  
 monitionē accipere nollē: causa visa non est, cur  
 inde me cōfestim priperē necesse visum. Nō dico  
 quis insidiatus mihi sit Germani, nec oīno q̄ vere  
 insidiatus aliqs sit, sed ab amicis monitū dico, iā ī-  
 minere meo capiti p̄niciē, iā nō longe a mea inter-  
 nitione abesse me. Dicebāt vero, cū scire maxime  
 vellē, unde mihi periculū esset, aut unde insidiæ,  
 eos q̄ Pontificis Ro. apud Germanos agūt nego-  
 tia, conari hoc, & a Curtisanis q̄tq̄t hi, aut quiqui  
 sunt, cauendū mihi esse. Sed nō falsos esse, q̄ tunc  
 monebāt, documēto fuerūt quę insecuta sūt. Nam  
 & redeūti mihi aduerso Rheno, q̄ ab urbe Ro. ve-  
 niētes, ut multi tūc, forte occurrerūt, palā dixerūt,  
 Romę omnes hoc



H V T T E N I C A A D G E R M A N O S  
dicere, implacabiliter irasci mihi Pontificem, eum  
persequutionem decreuisse iam contra me, quan-  
tum fieri possit atrocem: & Mogunciam ubi re-  
dij, factus obuiam amicorum concursus est, gra-  
tulantium, q̄ sibi redditus essem: quorū aliqui ad  
modum mirabātur quod viuerem. Dicebant em̄,  
& fama erat passim, eas esse insidias mihi, q̄s diffi-  
cillimum sit euadere. Quare etiam diu iam salutē  
meam desperarint, ipsum me pro conclamato pe-  
ne habuerint. Superuacuum est nunc exponere,  
quid pręterea intellexerim ibi. Verum ut Franco-  
furdium inde perueni, ecce ab amicis epistolę ac  
nunciij, quidam etiam pręsentes ipsi docent, iam  
literis cōtendere a quibusdam in Germania Prin-  
cipibus Episcopū Romanum, nonnullis suo iure  
etiam imperare, ut vinc̄tum me Romam mittant:  
idq̄ e summis uni, quem hoc maxime posse arbi-  
tretur, obnixe adeo, ut nisi faciat, atrociam omnia  
diminetur, seq̄ nō amicum iam ultra denunci-  
et, sed inclementem fore dēdicat. Ibi tum, qui amici  
fuerāt, territi cōplures sunt, ac animo perculsi. Ne-  
q̄ ita longe post, qui imbecilles erant, nec animis  
valebant satis, abstinere ceperunt. Nam vixdum  
agnitum erat, vera monuisse hos, cum alia conti-  
nuo fama, alius terror accedit eadem apud Caro-  
lum regem conari quēdam Pontificis oratorem:



eiq; ab illo demandatum, ut ubiubi incidat, com-  
 prehensum me adgrediatur. Quare etiam, ut ubi-  
 que hoc sibi per Germaniam liceat, auctoritatem  
 Caroli deposcat sibi; & quod in ultimis fieri solet,  
 brachiū seculare imploret. His tot tanto cum ter-  
 rore obiectis subito, cum videam plane fieri, iam  
 quæ cogitari prius cum audissem non crediderā,  
 & ea hætenus sim molitus, quæ cum publico bo-  
 no & patriæ commodo, summā honestatem, opti-  
 mam fidem, ac veram in se religionē complectan-  
 tur, & quæ accusare non liceat, probare etiam ne-  
 cesse sit: tamen ob imminentis clam ac vi pericu-  
 li magnitudinem ( neq; enim publice quicquā me-  
 tuo, aut iure metuo ) locus mihi amplius in Prin-  
 cipum aulis non sit, & in amicorum ut ante nego-  
 tijs versari ultra non liceat: in summa ( quia ubiq;  
 Curtisani sunt, habentq; venenum & sicas, & ut  
 gratificentur Pontifici ausuri omnia creduntur ) pu-  
 blico interdictum mihi penitus cognoscam, idq;  
 nullo meo errore, nedum culpa, sed istorum ( qui  
 cum sic viuant, verum in se dici non patiuntur ) vi  
 ac violētia, cum aperte videam huiusmodi inquā,  
 nec aliter declinare liceat, cedem malorum poten-  
 tiæ aulis, cedam concilijs, cedam urbibus, cedam  
 publico: sed ita cedam, ut interim tamen, neq; a  
 veritatis adsertione, ad quā referenda omnia sunt,





H V T T E N I C A A D G E R M A N O S

neq̄ a vendicatiōe libertatis patrię, pro qua mortem etiam formidare non debeo, discessurus unquam sim. Qua in re cum occupari totis viribus multo ante proposuerim: neq̄ tamen cū pie hortarer, ut placide quę obstant verterentur profecerim, eo necessitatis cogor tandem, ut nō iam quęrendi sint qui adserendę veritatis, & patrię libertatis vindicandę authores mecum fiant, sed qui vitam ac salutem meā conseruent inuocandi. Quare ille ego, qui circumspiciebam paulo ante, ut essent, qui laboranti inter tot oppressores Christianę veritati opem ferrent: eiq̄ detergerent, inductum iam olim, magno cum dedecore religionis nostrę, fucum, ac istud excuterent iugū, quod pro suaui a Christo imposito, ab antichristis tyrānis inductum est acerbissimum, & fœda e medio sublata seruitute, qua tot iam sæculis opprimur a Romanis Pontificib. priscam repararent libertatem, quam benefice suis Christus dedit, isti nimis inciuiliter ademerunt, crudeliter lacerarunt, pene etiam funditus deleuerunt: ille inquam ego, cui hæc & huiusmodi paulo ante cordi fuerūt, idem nūc, ut viuā, atq̄ hæc diutius agere possim, cogor tot clausus insidijs, tot agitatus persecutionib. omnium consilia, omnium opem atque operam implorare. Sed quo confugiam? Vnde auxiliū petam?



Vos appello, vos obtestor Principes ac viri Germani. Bene meritos eiſci, innocētes plecti ſinetis? Ah ne facite. Ne hanc in vos accipite notam: ut cum in extraneos ſemper hospitalis ante Germania fuerit, vos in domesticum fuiſſe non benigni videamini. Atque hoc cauete: ne ſi vos me deſtitueritis, neceſſe ſit externa implorare auxilia, peregrinam efflagitare opem. Nō iure oppugnor, ſed vi & factione aduerſariorum opprimor. Nō appellat me ius, aut æquitas, ſed cōpellit libidinoſus inimicorum furor. Vbi eſt virtus Germanorum? Vbi illa omnibus nationibus cognita, omnib. populis decātata fortitudo n̄ra? Defendite oēs unū, q̄ oib. unus laboravi: & iā eſſem. Certe em̄ labor fuit ille meus, fuitq̄ conatus. At vero euētus moderari, ex dei id voluntate eſt, nō hoīs voto, Mihi quidē p̄inde periculū eſt, ac ſi quod veſtra cauſa pie volui, feliciter eſſem aſſequutus. Et iā enim eſſem in gratia Ro. Pōtificis ego, niſi voluiſſe in patrię cōmodū, & publicā utilitatē vertere, quicq̄d tot laborib. tā dura ac difficili peregrinatione, tot p̄ acerbiffimos caſus, in tanta fortunę aduerſitate queſitū mihi & comparatū eſt, tot vigiles o Germani noctes, tot diurna nocturnaq̄ paſſim itinera, tot exhaustos labores, tot p̄peſſas acerbitates, tā deſpicabilē toleratā paup̄tatē, tot annorū exiliis  
um, quod in



H V T T E N I C A A D G E R M A N O S

flore ætatis perculi. At suasit hoc veritatis studiū,  
 suasit patriæ amor. Quo minus hanc sine officij  
 impensam perire mihi. Fructum laboris ferre li-  
 ceat, vel idcirco, ut beneficium agnouisse videa-  
 mini. Nondum accusator fuit, nondum testis. Nō  
 vocor ad iudicium. Non crimen imputatur. Tan-  
 tum ad pœnam rapior, ad supplicium deposcor.  
 Sinitis indemnatum, indicta causa occidi? & cū  
 gladios Germania & laqueos habeat, quibus son-  
 tes puniantur, Romæ sinitis occidi? Si accusabor,  
 e vobis unus iudicet, ille communis princeps Ca-  
 rolus: si conuincar, hic occidi detur. Non fugio iu-  
 dicium. In medio vestrū confidenter versor. Tan-  
 tum vim fieri ne permittite: saltem ob id, ne si in-  
 nocens peream istorū violentia, aliquādo in mor-  
 tuum fingant crimen. Hanc ne sine generi meo  
 labem adspergi, si me utcunq; tractari parum re-  
 fert. Hoc pro me effœti ætate parentes orant. Hoc  
 attoniti rei insuetudine adolescētes fratres depre-  
 cātur. Hoc tota vos cognatio, innumerabilis ami-  
 corum grex, tot doctissimi homines, tot generosi  
 proceres, orant & obtestantur. Si gloriæ vestræ  
 consului Germani, vos ne famam negligite meā.  
 Si laudis vestrę opator fui, vobis erūna mea cure  
 sit. Si vestrū honorē amplificauī, vos meā incolu-  
 mitatem ne deserite. Ego ne hinc diuellar infelix?





CONQUESTIO.

ab hac terra? quæ me natum excepit: hoc cælo?  
 quod aluit: his hominibus? quorum tam suaui  
 cõsuetudo est. Hos ego focos, has aras deseram?  
 Neq; in exiliũ ibo, ut misere uiuam: sed ad imma-  
 ne suppliciũ, ut turpissime peream, abripiar. Est  
 auxilio populares: ferte opem: ne vincula finite  
 idui mihi, q̄ repellere a vobis ea conatussum. Cor-  
 roboratã quidẽ multa vetustate licentiam, in me  
 am tamen perniciem exire ne patiamini. Officij  
 præmium a vobis repeto, etiam beneficij debitũ.  
 Propulsate externã vim a populari, ab eo qui de  
 vobis bene meritus est: qui si noxius est, in vobis  
 puniri sustinet. Non libet accusare, occidere licet.  
 Cuncq; magnę mihi honestatis cõscius sim, de nul-  
 la unquã turpitudine reus fuerim, petor veneno,  
 petor gladio, & Romam protrahor: ne quorum  
 hæc mentes cogitant, eorũ oculi voluptate se sua  
 fraudent. Quis vestrum adeo durus, adeo est ad-  
 amantinnus, ut ei non lachrymas exprimat hæc mi-  
 seria? Tu Christe, qui omnia intueris, vindices ad  
 hanc calamitatẽ oculos dirige. At vos o Germa-  
 ni, defendite vestrum ciuem, defendite innocen-  
 tem, uniuersĩ quidem pro uno, sed cõmuni tamen  
 omnium causa dimicantes. An obscure præuide-  
 tis iam, quibus ex meo supplicio, quale præiudici-  
 um sit futurũ? Atq; igitur ne longius serpere ex-

f





HUTTENICA AD GERMANOS

emplum præcauete. Mea calamitas vestrum periculum est, meum exitium vestra captiuitas. Aperite oculos Germani, & cognoscite, ubi versemini, & quo deducti sitis. Non accusor, quod male vixerim, sed quod bene senserim ob id vero peccator, Non citor reus, quod aliquem læserim, sed quod læsos multos vindicare voluerim, supplicio deponcor. Nemo in Hutteno culpat, quod alicui vim fecerit, sed quod vim veritati factam optima fide populum pulsare conatus sit. Ergo non crimen meum est, quod nouum aliquod hic incendiū excitauerim, sed bene meritum, quod vetus hoc Romanæ auaritiæ, nunc demum, quando in publicam perniciem longissime latissimeque diuagatur, restinguere sum adgressus. Nulla turpitudine obijcitur, sed summa honestas imputatur. Nemo mihi bonus inuidet, tantum oderunt mali. Vestram fidem Germani, vestram integritatem. Prohibete iniuria vincere eos, qui iure certare noluerunt. Nec ab illis ferte quod opprimar: qui ne vos opprimerent, ipse me interposui, meam vitam in discrimen conieci. Sed quid hæc ego commemoro? Date hoc mihi, quod negatum adhuc nemini est: ut si quis accuset, dicere causam mihi meam liceat. Vetus hoc est, & intime insitum Germanorum consuetudini: indemnatum, indicta causa occidere neminem, etiã ex in



C O N Q V E S T I O

firmis: neque aliter punire. Omnibus iudicium da-  
 tur, de omnibus sententia fertur. Ne hoc mihi ne-  
 gate, quod postremę conditionis hominibus da-  
 tur, quod despectissimus quisque obtinet. Certe  
 profecto, si dicenda causa sit, vicero: si vi ac vio-  
 lentia decertandum, in vobis ut plurimum situm  
 est, qualis futurus sim. Nam si vos defenditis, sal-  
 ua res est. Sin deseritis, periculum quidem inerit,  
 ego tamen conscientia fretus non desperabo. Equi-  
 dem in Domino speravi, & eripiet me, nequando  
 rapiat Decimus Leo animam meam, dum non est  
 qui redimat, neque qui saluum faciat. Iam enim cir-  
 cumdederunt me canes multi, & concilium mali-  
 gnantiu obsedit me. Susceperunt me sicut leo pa-  
 ratus ad praedam, sed auertet deus mala inimicis  
 meis, & in veritate sua disperdet illos. Quoniam  
 ipse liberabit me de laqueo venantiu Curtisanor-  
 rum, & a verbo Leonis Decimi aspero. Furit is qui-  
 dem, & stimulo cupiditatis suę princeps fertur: sed  
 ita longe abest, ut ab eo tutus esse possim. Reli-  
 quum a Curtisanis periculum est Germani. Hi in-  
 stant, hi urgent. Quibus & si iratus est deus, tamē  
 obsistere vos decet. Nam suorum manu impios pu-  
 nit deus. Prius misere diuexarunt hanc nationē, nūc  
 pernitiē moliunt eis presertim, quos mysteriū suum  
 perdere vident. Quod feretis Germani? Neque vos

f ij



H V T T E N I C A A D G E R M A N O S

huic furentium libidini opponetis? Atque ut plane intelligatis, a quibus insidiæ mihi fiant, hi sunt, quibus authoribus, quibusque ministris, ea fiunt, quæ ego nisi reprehendissem, iam saluus essem: si laudassem, etiam beatus. Hi, ut compiletur noue cotidie patria hæc, adiumento sunt, consilium dant, opem aduertunt, impij Curtisani, detestabiles Symoniaci, qui istam miscent abominabilẽ publice praxim, qua Christo illuditur: veritati fucus fit: Germaniæ, non tantum, quando in pecunias eius & possessiones impetus istinc fit, detrimentum adfertur, sed populi etiam mores pessimis inductis ab urbe Roma exemplis deprauantur. Ab ipsis enim sunt istiusmodi malorum causa, qui cum tanto suo comodo ministri sint Romani Pontificis, hoc faciunt posse illum, a quo longissime alioquin aberrat. Horum opera fit, ut regnet Superstitio, vera exulet pietas. Hi animarum Romanos Pontifices, in tantum, ut constitutionibus ad lucri sui intuitum latis, Euangelicam abolere magna ex parte doctrinam adgressi sint. Hi illam alunt Romanam voraginem, illum pascunt insatiabilem istinc gurgulionem, qui patrimonia hic nostra deuorans, hanc illinc reuomit morum perniciem. Atque hi effecerunt, ut hunc illi nationi huic laqueum induerint: quem vereor, ne haud soluatis, nisi destructis his: ne haud





C O N Q V E S T I O

nisi aboleantur hi, enodetis. Hi sunt quasi quidam  
 in patrię malum nati illices. Hi Romanę mensę  
 aucupes, qui quod Roma voret capiunt: & capi  
 unt tam nimis multum, quam non satiat illa vo  
 rando. Aperite oculos Germani, & videte, q̄ vos  
 hic dispolient, qui apud exteros infament, omnis  
 q̄ vobis malę fortunę, omnis deprauati status au  
 thores sint. Atq̄ ecce vobis sceleratos Indulgen  
 tiarum mercatores, sacrilegos gratiarum, dispen  
 sationum, absolutionum, & omnis generis bulla  
 rum institores: qui sacrarum rerum mercatum in  
 ecclesia dei instituerunt, cū prophanarū ille empto  
 res & venditores templo olim eiecerit. Qui istas  
 architectant fraudes: illos cōcinnant dolos, unde  
 hęc est seruitus, hęc natiōis huius captiuitas. Qui  
 me impeditum reddiderunt: in has turbas, hanc in  
 quietudinē coniecerunt. Qui hoc mihi discrimen,  
 hoc periculū conciliarunt, haud aliam ob causā,  
 quam quia suas artes prodidi, crimina detexi, ra  
 pinis obstiti, grasaturę impedimētū attuli. Quo  
 niamq̄ per me quadam ex parte effectum est, ut  
 nonnihil ipsorū decesserit lucro, verę pietati mul  
 tum accesserit. Semper tumultum fugi: seditionis  
 author esse nolui: atq̄ ut intelligatis, quam non  
 fuerit meum consilium, publicam isti statui euer  
 sionem moliri, latine scripsi, quasi secreto admo





HVTTENICA AD GERM. CONQ.  
nens : neq̄ vulgum habere statim conscium vo-  
lui, aut populares mox contingere aures : quāuis  
cur hoc facerem, plus satis causę haberem : nunc  
quia sanitatis capaces esse pie admoniti non vidē-  
tur, sed fraternę adhuc correptioni exitiū obuer-  
tunt, nihil vel sic grauius consulam : tantū vim fie-  
ri queror mihi, & iniuriam fieri queror : vestram-  
q̄ Germani opem inuoco, vestrum auxiliū implo-  
ro : non quidem ut hos perdatis, sed ut me serue-  
tis. Neq̄ eī adhuc author esse volo, licet tot mo-  
dis lacepsitus, ut quia male fecerunt puniātur : tan-  
tum ne posthac faciant, cauere peto. Hoc si non  
orem ego etiam, ipsa utiq̄ causa impetrare debu-  
it. Quæ siquādo ita cordibus vestris incesserit, ut  
oculis iā obuersatur, neq̄ mihi querendi amplius  
causa erit, neq̄ vobis opē ferendi necessitas im-  
ponet̄. Valete, & videte, quarto calend, Octob.



DIRVMPAMVS VIN.  
CVLA EORVM,  
ET PRO  
IICIAMVS  
A NOBIS IVGV M  
IPSORVM.



D. IRVING

THE HISTORY OF THE

ROYAL NAVY

IN THE

SEVENTEENTH CENTURY

BY

ADMIRAL











Cl 2656. 8

X 2203202


nr











K  
96

Hoc in libello hæc continentur.

# VLRICHI

De Hutten, Equitis Germani,  
ad Carolum Imperatorem, aduersus  
intentatam sibi a Romanistis  
vim & iniuriam, con-  
questio.

*27. März 1793 in Schubarth's  
Cabinet Ulrichs und Hutten  
in Aufzug pag. 209. folg.*

Eiusdem alia ad Principes ac viros Germa-  
niæ, de eadem re conquestio.

Eiusdem ad Albertum Brandepurgeñ. &  
Friderichum Saxonum Ducem, Prin-  
cipes Electores, alięq; ad alios  
Epistolę.

IACTA EST ALEA.

*Über Ulrich von Hutten f. die allgermanische literarische Anzeigen 1798. pag. 1785. seq.  
pag. 1793. seq. pag. 1803. seq. pag. 1817. seq. und Jahrgang 1799. pag. 1217. seq.*

9. 21

